

A S I A.

Asia dignitas.



SIA unde nomen sortita sit, incertum proorsus. Nonnulli nomen habere volunt ab Asia palude, alii ab Asia matre Promethei, Iapethi conjugae, alii, secundum Hippiam apud Eustatium à quodam Heroe Asio. Eam ab Africa & Europa non magnitudo solum, sed & multa alia præclara fecernunt. In hac enim conditum primum genus humanum è nihilo emersit, in hac & Veteris & Novi Testamenti fere omnis gesta historia est. In hac humanam carnē induit Salvator noster, & oculis se conspiciendum præbuit Naturæ opifex.

In hac collectæ primum Christianorum Ecclesiæ inter paganorum tenebras, novorum instar siderum emicuere. Hæc prima gentium ritus, sacra, mores, rationemque vivendi alias docuit, prima linguarum artiumque omnium genitrix fuit & propagatrix. Constitutæ hic Monarchiæ & imperia prima Assyriorum, Persarum, Babyloniorum & Medorum. Denique nulla apud profanos, nulla apud sacros Scriptores celebratior Orbis terrarum pars.

Termini.

Fines sunt ab Septentrione Oceanus Scythicus, ab Oriente mare Eoum; à Meridie mare Indicum, sive Rubrum: ab Occidente Sinus Arabicus & Isthmus, qui est inter sinum Arabicum & mare Mediterraneum: atque inde maria Phœnicium & Ægæum, Propontis, Pontus, Mæotis lacus, Tanais amnis & Obium flumen. Longitudo ejus summa est inter Hellespontum & Malaccam extreum Indiæ promontorium mill. Germ. c15 ccc. Latitudo intra fauces Arabici Sinus & Tabin promontorium, quod est ad fretum Anjan, mill. c15 ccxx. Africæ adhæret isthmo, latitudinis xxv. miliar. Germanicorum. Cetera aquis innatæ.

Partes.

Divisa olim fuit in Majorem & Minorem. Regiones, quas major complectitur, hæ sunt: 1. Syria, quæ dividitur in Phœniciam & Palæstinam. 2. Armenia tam major, quæ Persis, quam minor, quæ Turcis paret. 3. Chaldæa. 4. Arabia, quæ triplex, Petrea, Deserta & Felix. 5. Persia. Deinceps Tartaria, Hircania, Bactriana, Parthia, & deniq; India, insulæque ad Indias spectantes. Asiæ minoris regiones sunt, Phrygia, Mysia, Lydia, Caria, Æolis, Ionia, Doris, & insula Rhodus. Phrygia duplex est, altera major, altera minor, quæ & Troas, sic dicta ab urbe Troja, Græcorum decennali obsidio excidioque celebratissima. A qua triginta stadiis à veteri distans novum est Ilium, item Alexandri Troas, quæ & Alexandria. Mysia similiter in Majorem & Minorem dividitur. In illa urbes notissimæ Antandros, Pergamus, Trajanopolis. In Minori Mysia, quam Hellespontus & Propontis perfundunt, amnes sunt celebres Æsopus, Granicus, Simois, Mons Ida Paridis & Oenones amoribus notus. Lydia flumina habet Caicum, Thermum, qui Pactolum auriferis arenis famigeratum recipit, & Caistrum, qui Lydiam à Caria dispescit. Vrbium nobilissimæ sunt Thyatira, Sardes, Philadelphia. In Caria flumina sunt Mæander & Lycus. Vrbes claræ, Tripolis, Laodicea, Antiochia, Magnesia, Priene, Alabanda, Stratonice, & in littore Miletus, dives olim atque potens mari Græcorum civitas. In Æolide urbes inclytæ, Cumæ, Phocæa, Elea. In Ionia Smyrna, Clazomenæ, Teos, Lebedus, Colophon, non tam Clarii Apollinis oraculo, quam Homeri natalibus nobilis; & Ephesus omnium clarissima, cuius decus ac ornamentum præcipuum Templum Dianæ, inter septem orbis miracula relatum, adeò magnificentum, ut Xerxes, cum omnia Asiatica templo incendio vastaret, huic uni pepercerit: quod postea Herostratus quidam, ut nomen ex scelere reportaret, incendit. In Doride urbes fuere Halicarnassus & Cnidus. At hodie Asia tota in quinque potissimum partes dividitur, quarum I. TARTARIA. II. CHINA. III. INDIA, earumque insulæ. IV. PERSICVM imperium. V. TURCICVM. TARTARI Septentrionalem Asiæ tractum tenent, à Mæotide usque ad Oceanum Eoum, neque ullius est in toto orbe majus latiusque imperium. Tartaria deserta multas hordas habet. Zagathai est Scythia intra Imaum. Catai regnum cœli ac soli temperie laudatissimum. Tangut est Scythia extra Imaum, cum Serica regione vicina Sinensibus. Præcipua ejus flumina sunt, Putisachnis, Caromora, Quiantu, & Quiam. Gens ipsa fera, atrox, cruenta, inconditis moribus & omnium barbarorum maximè barbara. Regio plurimum inculta, tristis, squallida, deserta. Nomen accepit à flumine Tatar, quod Mongul regionem irrigans in mare Septentrionale effunditur.

CHINÆ regnum in Zona temperata situm est, terminaturque mari Chinensi, India, & Tartaria, à qua per spatiū cccc. leucarum, ubi à montibus destituta est, muro discluditur, humano labore ac industria exstructo. Regio amplissima est. Provinciæ in ea CL. Metropoles CCXXV. Castella majora MCLIV. municipia CCCC XX. Villæ pagique sine numero. Incolarum summa excrescit ad LXX. myriadas. Vrbes præcipuae sunt, Panquin, Nanquin & Quinsay. Cives ingeniosi & industrii. Imprimendorum librorum ars apud illos antiqua est, uti & usus tormentorum aheneorum.

INDIA à Gange in duas partes secatur. Hinc pars ejus Persiæ proxima India intra Gange,

gen, altera verò extra Gangen appellatur. Illa hodie *Indostan* dicta, in qua sunt *Cambaya*, *Bisnagar*, *Narsinga* cum insulis *Ceilon* & *Maldivis*. In India extra Gangen sunt *Bengala*, *Pegū*, & ingens promontorium, in quo *Malacca*, olim dicta *Aurea Chersonesus*. Merces Indiæ sunt aurum, sericum, gemmæ, uniones, aromata, ut piper, cariophyllum, nubes myristicæ, cinnamomum, rhabarbarum, aliaque. Insulæ maris Indici innumeræ sunt. Princeps, atque omnium toto Oriente nobilissima, *Sumatra*, Veteribus *Taprobanam*, in complura regna divisa. Secunda est *Borneo*. Tertia *Java Major*, incognitæ magnitudinis, quam I. Cæsar Scaliger omnium rerum facili ubereque proventu compendium orbis appellavit. In hac celeberrimum est emporium *Bantam*. Dein Insulæ *Celebes*, *Gilolo*, *Ceiram*, quas Sindas esse putant Ptolomæi: & inter has sparsæ *Moluccæ*, parvæ, at felici aromatum productu nobiles, *Bachian*, *Tidor*, *Ternate*, *Motir*, *Machian*. Iamque *Sinarum* regno approximantes *Philippinae*, quas Barussas Ptolomæi interpretantur. Harum maxima *Lutzon*; in qua Hispani urbem condiderunt *Manillian*. Secunda est *Mindana*. Tertia *Calamianes*. Dein reliquæ minores inter has dissipatæ. Hinc verò versus Orientem sunt aliæ complures, in universum Hispanis *Islas de las Velas* dictæ. Hinc meridiem versus C.L. distans mill. Germ. est *nova Guinea*, quæ an sit insula, an verò pars continentis terræ Australis nondum satis compertum habemus. At in Sinu Gangetico *Narsingæ* regno adversa *Ceylon* novem regnis distincta est. Eam recentiores quidam *Taprobanam* esse autumant.

P E R S I C U M imperium clauditur à Septentrione *Hyrcano* sive *Caspio mari*, & *Oxo* flumine, Caucasoque monte: ab Oriente Indo: à meridie mari ac sinu *Perfico*: ab Occasu *Euphrate* amni & *Tigri*, qui in illum immergitur, & *Araxe* fluvio. Regiones hic olim *Gedrosia*, *Carmania*, *Drangiana*, *Arachosia*, *Paropamisus*, *Bactriana*, *Margiana*, *Hyrcania*, *Aria*, *Parthia*, *Persis*, *Susiana*, *Affyria*, *Media*. Nunc Persarum sive Sophorum universum imperium in regiones divisum est, quorum nomina, *Sare*, *Cufistan*, *Elaran*, *Farfi*, *Arac*, *Elsabar*, *Diargument*, *Corasan*, *Sablestan*, *Candabor*, *Sigefstan*, *Chefimur*, *Kirman*, *Gadel*, quibus accedunt *Ormuz*, & *Guzzarate*. Cæterum Veteris *Carmaniæ* nunc pars est regnum *Ormuz*, admodum potens, quod Plinio *Armuzia* regio dicitur, populi *Armozei*. Ptolomæus refert hoc situ civitatem *Armuzam*, & Strabo *Armozum*, quo nomine hodie censeri potest *Ormuz* in insula ejusdem nominis. Rex *Saracenus* est, olim Persarum, nunc Hispaniarum regis, qui arcem illic obtinet munitissimam, stipendiarius. Sed hujus regni pars altera est in proximo *Arabiæ* littore. Caput regni est *Armusa*, vulgo *Ormuz*, urbs satis elegans, emporiumque gemmis, unionibus, atque aromatibus, quæ *India*, *Persis* & *Arabia* mittunt, celeberrimum. Verum anno 1623 eripuit illud Persa Hispano.

T U R C I C O imperio nunc præst Sultanus *Amurathes*, post *Sultanum Osman*, & *Turcicum*. *Sultanum Mustapham*. Ejus in Asia partes sunt, *Albania*, *Iberia*, *Colchis*, *Armenia*, *Capadocia*, *Galatia*, *Pontus* & *Bithynia*, *Asia minor* sive *Natolia*, *Lycia*, *Pamphylia*, *Cilicia*, *Syria*, *Mesopotamia*, *Babylonia* & *Arabia*. In Insulis celebriores *Cyprus* & *Rhodus*, *Lesbos*, *Chios* & *Côs*.

Totius autem tractus Asiatici monarchæ primi fuere *Affyrii*, quorum postremus *Sardanapalus*, unicæ luxuriæ, profligatissimæque vitæ homo. Postea ad Medos devolutum imperium, ab his ad Persas translatum, inter quos Xerxes Darii filius bellum à patre cœptum adversus *Græciam*, quinquennium instruxit, copiasque decies centum millium, strato super *Helleponsum* ponte, ex Asia in Europam deduxit: quas naves quoque decies centum mille comitatæ sunt, sed irrito conatu: quum is, qui superis minari, mari insultare, *Neptuno* compedes injicere, cœlo tenebras inducere, montes solo æquare, totum orbem concutere ausus fuerat, vix, profligatis exercitibus, piscatoris scapha fretum trajecit, fracto hibernis tempestatibus ponte. Postremus Persici imperii Darius fuit, qui victus, superatusque ab *Alexandro*, *Macedonum* Monarchiæ viam fecit. Post Macedones, cum magna Asiæ pars Romanorum imperio cederet; Parthi, vilis anteà atque ignava gens, potentissimum in Asia regnum condiderunt, magnis exinde cladibus Romanos afficientes, donec ipsi à *Turcis* & *Saracenis* afficti fuerunt, regnumque eorum divexatum. Tandem Persarum virtus atque nomen iterum in *Sophis* emersit, Ismaële rege potentiam imperii sui maximè stabiliente.

Flumina totius Asiæ præcipua sunt *Tigris*, *Euphrates*, *Ganges*, *Indus*: de quibus plura *Flumina Asiae*. hoc loco dixisse non alienum fuerit. *Tigris*, qui nunc accolit *Tigil*, oritur in Armenia majore, fonte conspicuo in planicie; qua tardior fluit, *Diglito*; ubi verò concitari incipit, à celeritate *Tigris* (hoc nomine Medi *Sagittam* appellant) incipit vocari. transvectus lacum *Arethusam*, occurrente *Tauro* monte specu mergitur, subterque lapsus à latere ejus altero erumpit. Alterum deinde transit lacum, qui *Thospites* dicitur, rursusque in cuniculos mersus post xxv. milia passuum redditur. Dein receptis aliis ex Armenia *Affyria* que fluminibus, *Affyriam* *Mesopotamiam*que determinat; citraque *Seleuciam* divisus in duos alveos, altero *Seleuciam*, altero *Ctesiphon*.



Cum Illust. Ord. Hollandie privilegio decennali.

A S I A.

siphontem petens, insulam efficit haud modicam. Vbi remeavere aquæ Pasitigris appellatur, moxque in lacus Chaldaicos se fundit. inde vasto alveo profusus binis ostiis infertur mari Persico. *Euphrates*, qui nunc incolis Frat, in majore itidem Armenia exortus, initio Pyxirates nominatur: ubi Taurum occurrentem irrumpt, Omira; & mox ubi perfregit, Euphrates dicitur. Inde lœva Mesopotamiam, dextera Syriam, Arabiam, Babyloniamque radens in plures alveos dispescitur; quorum uno Seleuciam & Tigrin petit; altero, qui Regius dicitur, Babylonem permeans, in paludes Chaldaicas distrahitur, transvectusque, quondam suo ore in mare evolvebatur: postea verò ab accolis agros rigantibus præclusus, non nisi per Tigrin delatus. Increvit autem & ille, Nili modo, statis diebus, ac Mesopotamiam inundat. *Ganges* gemmifer & auri fecundus ex Scythicis oritur montibus, cuius latitudo minima duo mill. German. maxima quinque; ubi vadosissimus, mensuram centum pedum devorat. *Indus*, quem accolæ quondam Sandum, nunc diversis nominibus diversi appellant populi, *Hynd*, *Duil*, *Inder*, & *Caercede*, in Paropamiso monte effusus, undeviginti recipit amnes; sed clarissimos Hydaspen, & Hypasin, qui Alexandri iter terminavit, nusquam latior quinquaginta stadiis, aut altior quindecim passibus, septem ostiis in mare Indicum evolvitur. Mons maximus Afîæ & reliquorum in Asia montium pater est Taurus, qui alibi alia sortitur nomina, ut modo Imaus, modo a-liter appelletur.

Est hic Mare Caspium, hodie Mare de Sala vel Bachri, vel Chualensko dictum, undique terris conclusum, ut falsò crediderint Veteres esse Sinum Oceani Septentrionalis. Amnes in Pontum Euxinum influentes sunt, Thermodoon, Iris: *Ponti*, Halys: *Galatæ*, Parthenius & Sangarus: *Bithynia*, Rhindacus: *Phrygia*, Simois & Scamander: *Lydæ*, Caycus & Hermus. *Caystus* & *Mæander* *Carie*: Xanthus *Lycæ*. Cataractes *Pamphyliæ* sive *Caramania*. Cydnus *Cilicia*, qui Tharsum Pauli Apostoli patriam præterlabitur: Orontes *Syria*: Iordanes *Palestine*. Lacus ingens Asphaltites, in quem se effundit Iordanes. Vrbes præcipue nunc sunt, (sub Turcarum imperio) Theodosia *Cafa*, & Trapezus *Trebizonde*. Fuerunt quondam Amasus, Prusa, Chalcedon, Abydus, Troja, Smyrna, Colophon, Ephesus, Miletus, Patara, Tarsus, Antiochia, Tripolis, Berytus, Tyrus, Sidon, Ioppe, Iaffa, Ascalon, Gaza, Damascus, Hierosolyma. Montes Libanus & Antilibanus. In Cypro sunt urbes famosæ, Salamis, Amathus, Paphus, Nicosia & Famagusta.



A F R I C A.

